



Nr. 14

34

DISSERTATIONUM ANTIPOREIANARUM
ET SIMUL ANTISOCINIANARUM
OCTAVA
DE
SATISFACTIONE
JESU CHRISTI,
SEU DE
EXPIATIONE ET RE-
DEMPTIONE EJUS FORENSI,
TANQVAM ANTITYPICO UNIVERSÆ REI SACRIFICALIS
NUCLEO, TOTIUS EVANGELII CENTRO, AC JUSTIFICA-
TIONIS FORENSIS FUNDAMENTO:
QVAM DOCTRINAM
POSTERIORE XVI PROPOSITIONUM SERIE
DEMONSTRATAM
IN REGIA FRIDERICIANA
die Novembris hujus MDCCXIX. anni
PRAESIDE
JOACHIMO LANGIO,
SS. THEOL. D. ET PROF. ORDIN.
responsione publica defendet
JACOBUS GABRIEL Mandel
Schœnebecca Magdeburgicus, S. S. Theol. Cultor.

HALAE SAXONUM,
Typis JOAN. FRID. KROTTENDORFII, Acad. Typ.



DOCTRINAE
DE
SATISFACTIONE CHRISTI
PROPOSITIONES XVI. POSTERIORES.

PROPOSITIO XVII.

SATISFACTIO seu EXPIATIO Christi probatur 17. ex Hebr. V,9. ubi Christus, ^{τε-} _{λειωθείς}, consummatus in officio hilastico per perpeſſiones o- mnes, dicitur per obedientiam suam (v.g.) omnibus obedientibus, ſeu credentibus, factus eſſe cauſa æter- næ salutis.

ILLUSTRATIO.

i. Christus hic dicitur *cauſa ſalutis æterne*, non
in
A 2

DOCTRINA DE

in quantum gratiam suam nobis ad instaurationem imaginis divinæ infundit, & sic nos renovat (quod quidem in partæ salutis applicatione ipse nobis omnino præstat;) sed in quantum *pro nobis extrema passus est*, & obediendo perpessione omnes sibi destinatas consummavit. Id quod est *obedientiam dicere*, seu re ipsa experiri, quid sit vadimonium obire pro reis, & sic Patri, tanquam justo judici, satisfacere. Atque ita Christus est cauſa salutis nostra meritoria. Qui hujus dicti sensus ex universa doctrinæ haſtentus deducere serie confirmatur.

2. *Obedientia ipsa etiam recte vocatur meritoria.* Si enim Christus in cruce per obedientiam suam passivam, seu in perpessionibus præstitam, salutem nobis promeruit, utique ipsa ea obedientia est *meritoria*, vim satisfactionis & meriti habens.

3. Hæc vero *obedientia Christi passiva* simul fuit *activa*. Dum enim Christus adversa quælibet ipsamque mortem pro nobis obsequentiſſime obiit, simul exhibuit perfectissimum exemplar sanctitatis, lenitatis, patientiæ, caritatis & omnium virtutum, tanta perfectione, ut lex ipsa perfectiore requirere non posset.

4. *Obedientia Christi activa* præterea in tota ejus vita & omnibus actionibus se exseruit. Qui enim venerat omnem legem impleturus Matth. V, 17, 18. Hebr. X, 9. eam omnino implevit, moralē obedientia *activa*, uti ceremonialē *passiva*. XL, 10.

5. Et hanc quoque *activam Christi obedientiam* fuisse *ιλασικὴν & meritoriam*, sequentia evincunt argumenta:

a) *Lapsus*

SATISFACTIONE JESU CHRISTI.

5

- a] *Lapsus Adami.* Quemadmodum enim primi Adami *inobedientia* fuit *meritoria mortis*; ita Christi, tanquam secundi Adami, *obedientia*, legi, quam Adamus etiam sibi inscriptam habuit ac violavit, *præstata*, est *meritoria vitae æternae*. Confer, quæ *Dissert.* IV. de *Imputatione peccati dicta sunt.*
- b] *Status hominis post lapsum*, ubi *obedientia Christi* aetiva ipsi summe fuit necessaria. Homo enim hæret non solum in culpa, seu reatu perdita divinæ imaginis, sed etiam in *debito præstandi* Deo perfecitam *obedientiam*, secundum depositum, in creatione humanæ naturæ concreditum, seu secundum vires ipsi donatas. Deus vero prosequitur *ius* suum, suumque postulatum, ut humana natura, seu humanum genus, reddat, quod accepit, seu ut ipsi, secundum depositum illud, cultum *præstet sanctum & perfectum*. Id quod cum non posset, ejusmodi egreditur mediatore, qui hoc ipsum loco humani generis *præstaret*, ideo ipse homo factus.
- c] *Officium Christi mediatorium & hilasticum.* Ad quod cum pertineat *obedientia* ejus *passiva*, uti *percepiimus*; cur excluderemus *activam*, debitorum per *λύτρον* solutricem? Et hæc in Christo eo fuit eminentior, quo *sanctor* is fuit ac habilior, promptiorque ad eam in omni vita sua *præstandam* Phil. II, 8.
- d] *Opposito inter peccatum & Christi justitiam*, in qua peccati est *avulsio*, Quemadmodum enim peccatum est *avulsa*, seu legis violatio perfecta, ita *justitia*, seu *obedientia* Christi, est perfecta legis impletio, a Deo requisita.

A 3

e) *Cla-*

DOCTRINA DE

c] Clariſſima Scripture testimonia.

a) Rom. V, 19. *Quemadmodum per unius hominis inobedientiam peccatores constituti sunt multi: ita per unius (Christi) OBEDIENTIAM justi constituantur mulci. Quæ Christi obedientia in se habet diuina, meritum, & justitiam, nobis in justificatione imputabilem, secundum v. 17, 18. reatui & condemnationi oppositam, ibid. & v. 16. Nec passio Christi commode vocari potest ejus justitia, quemadmodum hic dici videmus de obedientia: quæ ideo non potest non activa esse, ita vero, ut passivam includat.*

b) Psalm. XL, 8, 9. collat. Hebr. X, 7. seqq. *Ecce venio, ait Messias, in volumine scriptum est de me: facere voluntatem tuam, Deus mihi, desideravi, & lex tua est in visceribus meis. Item Matth. V, 17, 18. Non veni, ut solvam, sed ui impleam legem. Quorum locorum sensum in applicatione ad nos homines indicat Paulus Gal. IV, 4, 5. Cum venisset impletio temporis, Deus misit Filium suum, natum e muliere, legi subditum, ut illos, qui sub lege sunt, redimeret. Hic videmus, Christum subditum fuisse legi, quemadmodum nos eidem subditi eramus. Jam vero nos eidem subjecti eramus tanquam debitores cum obligatione ad perfectam impletionem, sub comminatione & executione maledictionis. Quam impletionem quia præstare haud valuerimus, Christus, alias legis dominus, homo factus & vi assuntæ humanæ naturæ & sponzionis suæ legi subditus, nostri loco præstitutus, legeque morali & simul ceremoniali sic impleta a maledictione ejus*

SATISFACTIONE JESU CHRISTI.

ejus nos redemit (conf. c. III, 13.) expuneto, quod contra nos confignatum erat, chirographo Col. II, 13, 14. & simul paro *in deo* jure & privilegio. Qua ratione fructus nativitatis *meritorius* cum *inhæsivo* egregie conjungitur, ita ut hic istum proxime subsequatur.

Uberiores Observationes.

1. Humanum genus hærebat in culpa, non solum *commissionis*, ob mala contra legem commissa; sed etiam *omissionis*, quia debitum suum, seu perfectam obedientiam, non præstítit. Hinc a Christo demandus erat duplex reatus per obedientiam, reatus *omissionis* per per *activam*, & *commissionis* per *passivam*.

2. *Debitum*, secundum quod humana natura, seu hominum genus, in nexus creatoris est, permultum differt a debito illo, quod homo alii homini, creditori suo, debet. Nam inter homines ipse creditor haud invitus finit debitum contrahi, ideoque is non ejus contractione, sed tantum negata solutione, læditur. At Deus offensus est, non solum negata debiti solutione, & solvendi *aduocacia*, sed supino etiam depositi neglectu, ejusdemque turpi jactura & malitiosa debiti contractione, ipso prohibente & maxime invito facta. Unde ejusmodi contractio debiti est *rapina* quædam, & homo *fur* ac *raptor* potius est, quam debitor; *raptor*, qui, et si, quod rapuerat, restituit, tamen per viam juris adhuc est in nexus, seu reatu ipsius rapinæ commissæ.

3. Magna hæc inter *debitorem* & *raptorem* differentia insigniter illustratur ex eo, quod Lev. V, 14, 15, 16.

VI, 4.

DOCTRINA DE

VI,4.sqq. raptor jubebatur non solum res a Deo sacratas aliasq; ablatas simpliciter restituere, sed præterea in satisfactionem pro commissa culpa etiam quintā partem una cum sacrificio pro reatu superaddere. Conf. Deut. V, 5-8, ubi præcipitur, ut res ablata domino restituatur, cum sacrificio piaculari, & superaddenda quinta parte, usibus sacris addicenda. Atque ita præter expiationem urgebatur compensatio ipsa, eaque abundans, ad insignem repræsentationem nostri debiti & officii Christi; utpote qui ita nos expiavit, ut etiam nostri loco restituerit ablatum. Et hoc est, quod ipse affirmat: *Quod non rapui, inquiens, tamen rependam* Psalm. LXIX, 5.

4. Nec de nihilo est, quod citatis locis duplex raptorum & restituendorum species denominatur; una *sacrilegii*, in rebus sacris commissis; altera *simplicis furti*, adversus homines alios patrati. Qua diversitate procul dubio ad *utramque decalogi tabulam* respicitur. Etenim natura humana respectu *tabule prioris* eorum causa, quæ Deo debentur, hæret in crimen *sacrilegii*: vide Rom. II, 22. ubi Judæus dicitur *ιεροτελεῖν* Conf. Matth. XXIII, 25. Respectu tabulae *posterioris* est in reatu *furti*, aut fraudulentæ detentionis, qua, quæ Dei & aliorum hominum sunt, iis ablata ac negata nobis vindicamus, per inordinatum amorem in exitium nostrum laborantes. Jam vero si Deus secundum legem typicam reatum, in rebus caducis contractum, *restitutione* & *expiatione* aboleri voluit; quis dubitaret, eum hoc multo magis in reatu majori & omnium gravissimo, quem lapsus & totus corruptionis status peperit, ablando intendere, & ista etiam typicæ oeconomie particula

SATISFACTIONE JESU CHRISTI.

ticula redēptionis misterium, in expiatione & resti-
tutione positum, fuisse adumbratum? Conferenda hic
omnino sunt, quæ Dissertat. III. in primis Sect. I. Pro-
posit. VI. hac de re tradita sunt, ubi hominis debito-
ris reatus etiam sub imagine malitiosi decoctoris descri-
ptus est.

5. Doctrinæ de obedientia Christi activa & nobis
imputabili summa est salubritas, summa necessitas,
præcipue in statu afflito, ut confidere possimus, obe-
dientiam nostram imperfectam Deo placere propter
Christum, & speciatim propter ejus obedientiam per-
fæctissimam. Huc refer typum illum de lege moralı,
quæ perfectam obedientiam requirit, arcæ fœderis
inclusa, & operculo, *ιλασηρίω*, quod peculiari respectu
Christum adumbravit, contenta. Qua figura signifi-
catum fuit, legem a Christo foveri & impleri. Vid.
Myst. Christi ac Christianismi p. 73.

PROPOSITIO XVIII.

SATISFACTIO seu EXPIATIO Christi
probatur 18) ex iis locis, ubi Christus
dicitur factus justitia nostra, & ubi
nos dicimus in ipso habere justitiam.

ILLUSTRATIO.

Jes. XLV, 24. *Tantum in Jehova (Messia, de quo
contextus & allegatio Rom. XIV. & Phil. II.) dicit mi-
hi (omnis lingua) sunt justitiae & robur. & v. 24. In Je-
hova (Messia) justificabuntur & gloriabuntur omne semen
Iudaicæ.*

B

Jer.

Jer. XXIII, 5. 6. Excitabo Davidi germen iustum &c.
Hoc nomen ipius est, quo vocabit eum quisque: זְקָנָר חֶרְחָה, Jebova justitia nostra. Idem repetitum videas c. XXXIII, 16.

Rom. V, 17. Hic credentes dicuntur accipere dian-
omega & donum justitie ad justificationem, oppositum pec-
cato, reatu & condemnationi. Confer de hac ipsa justi-
tia Christi, tanquam objecto fidei justificantis, locum
Phil. III, 9.

i. Cor. I, 30. Christus factus est nobis a Deo sapientia,
justitia, sanctificatio & redemptio.

Not. Justitiam Christi esse meritoriam respectu sa-
tisfactionis, & nobis imputabilem, liquet: a) ex ejus ap-
plicatione, quæ fit ad justificationem, quemadmodum
habet contextus locorum allegatorum, præcipue illius
ex Rom. V. b) Ex ejus instrumento, quo apprehenditur,
quod est fides, secundum Phil. III, 9. c) Ex ipsa
justificationis forma, quæ consistit in imputatione justi-
tiae Christi, per fidem apprehensæ, ut Differat. peculiari
ex instituto demonstrabitur. Ubi ergo imputatur ju-
stitia, ibi eam adesse oportet meritorie, ut imputari
possit. Justitia autem meritoria & imputabilis nihil
est, nisi ipsa satisfactionis, seu satisfactionis lymrum: d)
Ex antecedenti argumento de obedientia Christi, tan-
quam justitiae ejus synonymo. e) Ex integra argumen-
torum de & pro satisfactione deductorum serie. Quæ
cum ita sint, Christus omnino in sensu hilastico dici-
tur justitia nostra & esse & factus, seu in justitiam nostram
datus esse.

PROPO-

SATISFACTIONE JESU CHRISTI.
PROPOSITIO XIX.

xi

SATISFACTIO seu EXPIATIO Christi probatur 19) ex illis Scripturæ Sacrae locis, ubi ipsi REDEMPTIO, tanquam EXPIATIONIS synonymum, verbis λύθρον, λυτρώω, λύθρωσις, ἀπολυτρόω, ἀπολύτρωσις EX-
presse adscribitur.

ILLUSTRATIO.

Notanda hic est proprietas grammatica vocum λύτρον, λυτρώω, λύτρωσις, ἀπολύτρωσις, & earum differentia a vocibus λύω, solvo, λύσις, solutio. Λύω est solvo, libero, diruo, destruo: quod est res facti & potentiae. Et hanc omnino præstat Messias; utpote qui venit, ἵνα λύσῃ, ut solveret opera diaboli 1. Jo. III, 8. Ut vero solutio & liberatio captivorum, cum destructione vinculorum & ipsius captivitatis conjuncta, fiat *de jure*, seu per viam juris, requiritur λύτρον (quæ vox a λύω derivatur) primum pro redimendo captivo pendendum, Gallice rançon, Germ. ein Lösegeld. Quod lytron exsolvit foro justitiæ, eoque a judice accepto captivus etiam re ipsa accipit suam λύσιν, seu vinculis solutus in libertatem adseritur. Hinc λυτρώω, ἀπολυτρίω, λύτρωσις, ἀπολύτρωσις quid sit, liquet; nimirum reum, captivum & obæratum soluto pro ipso pretio redimo. Atque ita ἀπολύτρωσις est ejusmodi liberatio, quæ fit per viam juris, seu satisfactionis, foro justitiæ datae. uno verbo, redemptio. Nec enim Christus in humani generis restitutione uti voluit sola potentia ad λύσιν, si-

B 2

ne

ne exsolutione pretii, a justitia requisiti: nec *sola gratia* ad *ἀπολύτωσιν*, sine potentia, ad nostri e vinculis satanæ & peccati *λύσιν*, seu liberationem, exserenda: sed hæc attributa sua in salutis nostræ negotio conjunctim admirando cum temperamento exseruit; *gratia* ad *redemptionem*, & *potentia* ad *destructionem* regni satanæ, per peccatum intra nos eructi. Hanc vocum, *λύτρου*, *ἀπολυτέον* &c. significationem genuinam esse, præter notionem grammaticam & maxime propriam, liquet e re ipsa, quæ in universa hac propositionum serie adstruitur.

Et hoc ipso sensu accipienda sunt vocabula ista in locis sequentibus, prout contextus exigit:

λύτρον & *ἀντίλυτρον*. Matth. XX, 28. *Venit Filius hominis*, ut serviat & det animam suam *λύτρον*, *premium redemtionis*, *ἀντι*, pro, seu loco multorum. Conf. Marc. X, 45. Sic I. Tim. II, 6. *Unus est mediator Deum inter* & *homines*, homo *Iesus Christus*, qui se dedit *ἀντίλυτρον*, *premium redemtionis*, *pro omnibus*.

λύτρωσις. Tit. II, 14. *Qui Jesus Christus dedit semet ipsum pro nobis*, *ἴνα λυτρώσῃ τὰ ἡμᾶς*, ut nos redimeret ab omni iniquitate &c. & I. Pet. I, 18. *Nostris*, quod non rebus corrupribilibus, argento & auro ἐλυτρώθητε, redempti esitis, sed pretioso sanguine &c. Conf. Luc. XXIV, 21.

λύτρωσις, *ἀπολύτωσις* Luc. I, 68. *Celebratus sit Deus Israelis*, quod visitavit & fecit *λύτρωσιν*, *redemptionem*, *popolu suo*. Vide idem nomen c. II, 38. Rom. III, 24. I Cor. I, 30. Eph. I, 7. Col. I, 14; Hebr. IX, 12, 15.

Ubertiores Observationes.

1. Verbum *λύσιν* præter significatum destruendi & per

SATISFACTIONE JESU CHRISTI.

13

per viam facti liberandi, ἀναλόγως etiam habet notionem captivum redimendi & redemptum redimenti dimittendi, seu reddendi. Vide STEPHANUM in Lexico, qui notionem hanc coniunctam illustrat locutione Gallica *delivrer un prisonier*. Hinc λύτρον apud eundem est redemptionis pretium. Quam vocem Scriptores Graeci alii plerumque in numero plurali adhibent.

2. Vocabulum λύτρον, pro sua pretii redemtionis notione, porro habet sensum placamenti & piamentii, seu expiationis per substitutionem piacularum, tanquam per vicariam redemtionem, uti liquet ex illo LUCIANI apud STEPHANUM: ὑποχυθεῖσαι σοι υἱὸν τοῦ θεοῦ λύτρα ὑπὲρ ἡμῶν, polliceor tibi hircum maestatum iri expiationem, seu piaculum, pro me! Hinc θεοὶ λύσοι gentilibus erant dii expiatorii, seu expiationum presides. Ipsa etiam λύσις erat expiatio, λυτή liberator, expiator, & λυτήριον victimā, cuius maestata sanguine hominis expiandi manus illinebantur. Vide eundem STEPHANUM, & HESYCHIUM, qui λύτρα declarat per καθάριστα, seu ejusmodi victimas piaculares, quibus noxae expiari purabantur, & Latinis purgamenta, item lustra, quasi λύτρα, dicebantur.

3. λύτρον esse vocabulum forense, seu notare pretium, quod, uti pro redimendis captiuis, ita etiam iudicio pro vita redimenda solvendum erat, etiam ex ipso usu LXX. interpretum biblico manifestum est. Vide Exod. XXI, 30. ubi utraque vox Hebræa כֶּבֶשׂ & כְּרִיּוֹן redditur per λύτρα. Unde optima fit applicatio ad mysterium redemtionis, in primis si conferas loca Exod. XXX, 12. & Psalm. XLIX, 8. ubi vox Hebræa כֶּבֶשׂ a LXX. interpretibus redditur per λύτρα, voci animarum adjuncta.

4. Vox

4. Vox ἀντιλαύτηρον uti respectu partis suę posteriores exprimit satisfactionem, seu expiationem; ita vi prioris, seu præpositionis, habet notionem substitutionis, seu permutationis. Quæ dux notiones momenta constituant primaria doctrinæ de sacrificiis & de officio Christi sacerdotali.

5. Emphasim hujus vocis significantissime ita expressit Arabs in Polyglottis Matth. XX, 28. i. Tim. II, 6. Qui permutavit semet ipsum in substitutionem redemtionis loco omnium.

6. Vocabulū haec tenus expositarum usum, et ipsius redemtionis a Christo præstata necessitatē summam egregie declarat locus illustris Psalm. XLIX, 8. 9. Fratrem nullo modo redimere potest quisquam, nec dabit Deo redemtionis pretium pro eo. Nam pretiosior est redemptio animæ eorum, ut omittat in æternum: ubi verbum פֶּרַת a LXX. interpretibus redditur per λυρόμενον, nomen כְּבָר per ξελασμα, & nomen פִּירֵי per λύτρωσιν.

7. Vox ἀπολύτρωσις etiam de pleno redemtionis effectu, seu de consummata liberatione, adhibetur. Luc. XXI, 28. Rom. Vlll, 23. Conf. Eph. I, 14. IV, 30.

8. Vocabula ista haec tenus declarata supponunt in homine captivitatem spiritualem, de qua vide Psalm. LXVIII, 19. coll. Eph. IV, 18. Psalm. LXIX, 34. Jes. XI, 1. coll. Luc. IV, 18. Et quia diabolus, cui humana natura se mancipavit, est judicii divini, captivitatis pœnam decernentis, executor, detinens homines in captivitate, huc etiam ea pertinent loca, quæ de potestate Sathanæ in homines agunt. Luc. XI, 21. 22. Col. I, 13. 2. Tim. II, 26. Hebr. II, 15. Eadem est ratio locorum, ubi captivitas, seu servitus, tribuitur peccato, per quod satanas homi-

SATISFACTIONE JESU CHRISTI.

15

homines constrictos tenet. Rom. VI, 17, 19, 20. 2. Pet. II,
19. Tit. III, 3. &c.

9. Jam vero cum lytron & lytri solutio, seu redemtio, fint res forenses, necesse est, captivitatem illum, sub qua humana natura per peccatum detinetur, etiam sensus forensis & notionis penal is esse.

10. Et hoc est, quod argumenta sequentia confirmant:

- a) *Reatus peccati.* Postquam enim humana natura se diaboli laqueis, qui in peccato sunt, constringendam permisit, hoc ipsum peccatum e justo Dei judicio eidem cedit in justam perpetuæ & miserrimæ captivitatis panam. Atque ita homo est *captivus diaboli*, tanquam tyranni, seu carceris præfecti, Dei vero, tanquam justi judicis.
- b) *Expressa loca de captivitate peccati judiciali & penal i* Matth. V, 25, 26. Luc. XLI, 58. Item Matth. XVIII, 34. Conf. I. Pet. III, 19.
- c) *Loca parallela de redemptione*, non auro & argento, sed pretioso Christi sanguine facta & ad forum relata. I. Cor. VI, 20. 2. Cor. VII, 23. I. Pet. I, 18. Apoc. V, 9. XIV, 3, 4.
- d) *Loca de judicio captivitatē per lytron sublate*, & de sententia adversus captivantem diabolum pronuntiata Jo. XII, 32. *Nunc est judicium mundi hujus, nunc princeps mundi hujus [respectu potestatis suæ in homines captivos usurpatæ] ejicietur foras.* Item c. VI, II. *Princeps hujus mundi judicatus est. Quo sensu rapina potenti eripitur.* Jef. XLIX, 24.
- e) *Totum negotium justificationis*, quod in singulis suis momentis est judiciale, ut peculiari Dissertatione vide-

videbimus. Jam vero captivitas pertinet ad statum hominis justificandi; utpote qui, quia in peccatis captivus detinetur, Deo est ὑπόδικος, iudicio ejus obnoxius. Ideoque ipsa etiam captivitas sensus est judicialis.

ii. Ceterum conferri hic merentur loca, ubi vocabulum ἔργον expiatio, ponitur pro redēctione forensi, partim pecuniaria, partim cruenta in ordine surrogationis, aut compensationis, pro anima, & a LXX. interpretibus redditur per λύτρον, vel λύτρα, pro anima, ut: Exod. XXI, 30. XXX, 12. Num. XXXV, 31. 32. Prov. VI, 35. XLI, 8. & per ἵξιλασμα I. Sam. XII, 3. Psalm. XLIX, 8. item per περιποίησμα Prov. XXI, 18. nec non per ἀλάγυμα Amos V, 12. Jes. XLIII, 3. Cujus surrogationis & compensationis, seu redēctionis per surrogationem & compensationem factae, forma erat satisfactio, cum effectu imputationis, ad abolendam culpæ, morte alias digne, imputationem.

PROPOSITIO XX.

SATISFACTIO seu EXPIATIO 20) probatur ex iis locis, ubi de redēctione adhibentur verba parallela: ἀγοράζω & ἐξαγοράζω, item περιποίησμα & ῥύμα, tanquam synonyma verborum λύτρω, ἀπολυτρώ,

ILLUSTRATIO.

Sensum forensem, quo redēctio fit per viam juris & satisfactionis, indicat ipsa grammatica istorum verborum, præcipue priorum, notio. Usum vero eorum-

SATISFACTIONE JESU CHRISTI.

17

orundem de officio Christi mediatorio videoas 1. Cor. VI, 20. ἡγεάσθητε τιμῆς, pretiosa redempti ih̄sū. Ita etiam c. VII, 23. Item 2. Pet. II, 1. Abnegant Dominum, τὸν ἀ· γοράσσοντα αὐτὸν, qui illos redemit. Apoc. V, 9. Maestatus es καὶ ἡγόρασας τῷ θεῷ ἡμῶν, & redemisti Deo nos sanguine tuo: ubi simul redemptoris premium (de quo Paulus generatim 1. Cor. VI, 20. c. VII, 23.) speciatim exprimitur, in sanguine Christi inestimabili politum. Conf. 1. Pet. I, 18. 19. item Apoc. XIV, 3. ὁ ἡγεασμένοι ἀπὸ τῆς γῆς, redemti a terra. Idem notatum videoas verbo compósito ιχαγοράζω Gal. III, 13. Christus nos & ξηγέασσεν, redemit ab exsecratione legis, factus pro nobis exsecratio. Et c. IV, 5. Deus misit filium suum, legi subiectum, ut illos, qui sub lege sunt, ιχαγοράσῃ, redimeret, & nos adoptionem accipemus.

Aet. XX, 18. Deus ecclesiam περιποίησατ, acquisi-
vit per proprium sanguinem. Nomen vero περιποίησας
adhibetur de acquisitione illa, quæ fit in salutis appli-
catione, ad fundationem tamen, seu redemtionem,
respectu habito, ut: Eph. I, 14. 1. Theff. V, 9. 2. Theff. II,
14. Hebr. X, 39. & hinc de Dei peculio 1. Petr. II, 9.
Verbum πνευμα in hac ipsa redemptoris significatione
videoas Luc. I, 14. Rom. XI, 26. ubi Hebræorum ὑπὸ ex
Ies. LIX, 20. redditur ὁ πνόμενος. item Col. I, 13. 1. Theff.
I, 10. Conf. Hos. Xlll, 14. Huc etiam pertinet locus
Gal. I, 4. & in eo verbum ιχαρέω.

Observationes speciales

in locum insignem Gal. III, 13.

I. *Benedictio legis*, seu ipsius legislatoris, est pro-
missio præmiorum, in bonis omnis generis, in primis

G

spiri-

DOCTRINA DE

spiritualibus, facta, cum certissimo ipsius collationis eventu. Deut. XXVIII, 12. *Quicunque homo fecerit ea, vivet in iis*, spiritualiter & aeternum, anima & corpore. Conf. Gal. III, 12. Matth. XIX, 16. 17. Luc. X, 25. 28. De complemento autem istius promissionis vide Gal. III, 14. Eph. I, 3. seqq. 1. Pet. III, 9. &c.

2. *Maledictio legis* est comminatio poenarum, in malis omnis generis, praecipue spiritualibus & aeternis, positarum, in legis violatores judiciali dictamine, seu sententia, pronuntiata, cum certo ipsius exsecutionis eventu. Deut. XXVII, 26. *Maledictus, quicunque non servaverit verba legis hujus, ita ut ea faciat,* & omnis populus dicere debet amen. Conf. Gal. III, 10.

3. Quemadmodum *benedictio* habet notionem *præmissi*, ita multo magis *maledictio*, consummata peccatorum mensuræ decreta, habet notionem *pœnae*, proprie sic dictæ. Atque ita maledictio non est nuda mali eventuri prædictio, sed judicialis pœnae denuntiatio, cum inflictione ejusdem conjuncta. Medicus ægroti & verbi minister peccatori mortem, ille corporalem, hic aeternam, sine maleditione, seu denuntiatione judiciali, tantum prædictit, seu exponit; judex autem eandem infligit, prævia denuntiatione, quæ de judicio divino accepta, ob respectum justitiae vindicis & judicialis exsecutionis, *maledictio* dicitur. Atque ita divina maledictio est dictamen pœnae, ob admisam culpam juste infligendæ. Quæ ejus notio forensis ex eo etiam cognoscitur, quod *legi* additur & vi *legis* decernitur.

4. Totum genus humanum vi *legis*, maledicentes & læsam Dei justitiam ac sanctitatem vindicantis, natura

SATISFACTIONE JESU CHRISTI.

19

natura est sub maledictione; uti jam tum Dissert. II.
III. & IV. demonstratum est.

5. Ab hac vero maledictione Christus ita homines liberavit, ut ipsos dicatur *redemisse*, lytro pro ipsis quam prontissime & quam efficacissime soluto: quæ vis est verbi *ἰξαγοράζειν*.

6. Hæc vero redemptio fuit vicaria, facta per permutationem & compensationem: quemadmodum ipsum verbum *ἰξαγοράζειν* exprimit; quandoquidem nulla emtio, aut redemptio, fieri potest, nisi res una altera permuteatur & compensetur.

7. Et hanc ipsam permutationis, seu substitutionis & vicarie compensationis, notionem habent addita verba: *satus pro nobis maledictio*. Qua ratione Christus, tanquam victima succedanea, seu vicaria, poenas nobis debitas in semet ipsum derivavit, ut hac via nobis fons & auctor omnis benedictionis fieret.

8. Hanc vero vicariam maledictionem, seu maledictionis executionem, Christus *κατ' ἑξοχὴν* subiit, cum tolleretur in crucem; siquidem Paulus verbis haec tenus explicatis, ad crucem Christi respiciens, subiungit ista: *Scriptum enim est: maledictus omnis, qui pendet e ligno*.

9. Ipsum quidem suspensionis supplicium per se maledictionem non afferebat, sed erat tantum signum gravissimi reatus, maledictionem attrahentis.

10. Cum vero Christus totius generis humani reatum in se suscepisset, & ob eum mortis omnis poenam in cruce luisset, & hac ratione maledictionem, eam à nobis ablaturus, in se fuisse expertus; Paulus locum istum legis de suspensiis eminentiori modo ad Chri-

C 2

stum

DOCTRINA DE

stum applicavit, indicans, Christum multo magis peccatorum alienorum poenas in cruce luisse, quam olim homo suspensus vi legis peccatorum proprietorum poenas luerit.

ii. Finis redemptionis, hujus per suscepitam & sublatam maledictionem peractae, erat partim in salutis, quæ voce ἐὐλογίας, benedictionis, hic v. 14. a Paulo notatur, acquisitione; partim in ejusdem applicatione, per operationem Spiritus Sancti in ordine conversionis & accensæ ac conservatæ auctæque fidei perficienda.

PROPOSITIO XXI.

SATISFACTIO, seu EXPIATIO, Christi probatur 21) ex illis Scripturæ sacræ locis, ubi verbum καθαρίζω, & hinc ortum nomen καθαρισμός, purifico & purificatio, in sermone de salutis acquisitione, sunt *redemptionis* & *expiationis* synonyma.

ILLUSTRATIO.

i. Fundamentum purificationis, seu ejus suppositum, est ἀκαθάπτια, impuritas, immundities. Hæc vero est in peccato, & quidem partim in ejus culpa, seu reatu, ad poenam tendente, partim in ejus dominio & damno inhærente. Unde purificatio est duplex, opposita vel reatu in satisfactione & justificatione, vel dominio & domino inhærenti in regeneratione & renovatione.

2. Puri-

SATISFACTIONE JESU CHRISTI.

21

2. Purificationem peccati etiam *reatui* opponi, ex eo liquet, quod, teste Scriptura, manifestum est, inde nos *inquinari*. Vide Act. XX, 26. ubi Paulus presbyteris ecclesiae Ephesinae testatur, se esse *καθαρόν*, *purum a sanguine omnium*, h. e. culpe, si quis eorum periret, expertem. Idem iisdem verbis antea testatus fuerat Paulus Iudeis Corinthiis, veritati evangelicæ repugnantibus c. XVIII, 6. Si vero est *puritas* in immunitate a culpa, *culpa ipsa* habet *ἀναθαγούσαν & pollutionem*. Confer exemplum Pilati, qui in signum, sc̄ *χειροτονίας* culpa non teneri, se lavabat. Matth. XXVII, 24.

3. Et hæc hujus verbi notio confirmatur ex usu ejus Levitico. Secundum hunc enim mundi erant, qui carebant reatu immunditici Leviticæ; mundari vero dicebantur, qui contractam aliquam immunditatem ratione reatus demebant per sacrificia. Quorum omnium virtutem fuisse hilasticam, Dissert. V. demonstratum est.

4. Huc speciatim pertinet mentio *καθαρισμός*, *purificationis* illius, quæ leprosis curatis & puerperis injuncta Lev. XII. & XIV. & in ipsis novi foederis tabulis commemorata est. Marc. I, 44. Luc. II, 22, V, 14. Et in leproforum quidem purificatione ritus fere omnes plane singulari cum emphasi relatós fuisse ad *expiationem*, ex Lev. XIV, 1. seqq. manifestum est.

5. Hic significatus purificationis Leviticus de tollendo reatu maxime est conspicuus ex illustri illo loco Hebr. IX, 22. *Et fere per sanguinem omnia purificantur secundum legem.* Conf. v. 23. Jam vero sanguis habebat vim expiandi typicam secundum Lev. XVII, 10. ii. Ergo purificari est expiari.

C 3

6. Ex

6. Ex ipsis hisce locis videmus, *purificationem* ita opponi *restui*, ut illum demat per *expiationem*, cum effectu & applicatione *remissionis*. Unde in loco illo ad Hebr. IX, 22. verbis illis de *purificatione apostolorum* sub-junguntur hæc de *remissione*: & *sine sanguinis emissione non fit remissio*. Et hæc *purificationis* notio itidem manifesta est ex illo Pauli effato Hebr. I, 3. *Christus peccatorum purificationem fecit per semet ipsum*.

7. Proprietatem verbi *καθαρίζω*, & nominis, *καθαρός*, in sensu expiationis egregie confirmat usus eorum apud LXX. interpres; utpote qui Hebræorum *τελειωσιν* expiere reddit per *καθαρίζων*. Vide Exod. XXIX, 36. 37. XXX, 10. Ies. VI, 7.

8. Quam arcto nexu ille *purificationis*, seu *expiationis*, effectus, qui est in *remissione peccatorum*, cum ordine *regenerationis* & *renovationis* cohaereat, inter alia etiam egregie conspicitur e leprosorum curatione: In hac enim *transitiva sanatio* semper conjuncta erat cum *purificatione piaculari*. Nec hæc siebat unquam sine illa,

9. Latiorem *purificationis* sensum, in quantum is ad *renovationem* extenditur, & de hac præcipue agit, videas 2. Cor. VII, 1. 1. Tim. I, 5. III, 9. 2. Tim. I, 3. II, 22. 1. Pet. I, 22.

10. De sensu verbi *καθαρίζω*, quo est synonymum verbi *δικαιώω*, justifico in sensu forensi, (uti præcipue Tit. II, 14. accipitur) vide posthac *Dissertat. de Justificatione forensi*, adversus Poiretum vindicata.

PROPOSITIO XXII.

SATISFACTIO, seu EXPIATIO, Christi
pro-

probatur 22) ex illis Scripturæ locis
ubi verbum ἀγιάζειν, sanctificare est sy-
nonymum verbi expiare.

ILLUSTRATIO.

1. Fundamenti loco hic substerno usum verbi
ἀγιάζω, quo is in codice veteris testamenti in sermone
de expiatione Levitica apud LXX interpretes est ver-
borum, ἵλασμα & καθαρίζω, synonimum, per quod
ab iis verbum Hebreum כְּפָר redditur. Vide Exod.
XXIX, 33, 36. ubi v. 33. verba אַשְׁר כְּפָר בְּדִבְרֵינוּ reddun-
tur εἰς ἄγιασθοσαν: & v. 36. ubi verba יְמִים הַכְּפֹרוּ redduntur τῇ ἡμέρᾳ τῷ καθαρισμῷ, & ibidem verbum
redditur per εἰς τῷ ἀγιάζειν. Ipsum etiam ver-
bum שְׁקָר, sanctificare, habere notionem expiationis,
& a LXX. redi per τῷ ἀγιάζειν, notum est. Vide in-
ter multa alia Exod. XXIX, 1, 21, 33, 36, 37, 44. Conf. I.
Maccab. IV, 48. & Matth. XXIII, 19. ubi altare dicitur
sacrificium sanctificare, seu illud ita a carne & sanguine
brutorum vulgari discernere, ut illud usibus sacris &
hilaisticis destinet.

2. Et hoc ipso sensu legitur Hebr. IX, 13. ubi san-
guis hircorum & vitulorum, nec non ciniis vaccae rufæ
adperfus dicitur sanctificare i. e. expiare & offerentibus
demere reatum, uti constat e re sacrificiali, speciatim
e locis, quæ hic a Paulo allegantur Lev. XVI. Num.
XIX. In applicatione vero ad Christum ἀγιασμὸς iste
Leviticus Hebr. IX, 14. explicatur per καθαρισμὸν, purificationem,
seu actum purificandi, in quo est expiationis
partæ applicatio.

3. Hebr.

3. Hebr. X, 10. per oblationem corporis Christi
εφάπαξ ἡγιασμένοι, semel sanctificati, h.e. expiati dicimur.
 Conf. v, 14. ubi Christus una oblatione in perpetuum con-
 sumasse perhibetur τες ἀγιασμένοις, illos, qui expiabantur,
 seu qui expiationis objectum erant. De usu verbi τε-
 λεώς Levitico inter alia vide Exod. XXIX, 9, 27, 29, 31,
 33, 34, 35. apud LXX interpretes.

4. Hebr. X, 29. *Sanguine Christi*, tanquam *sanguine*
novi testamenti, dicimur esse *sanctificati*, i.e. expiati. San-
 guinem enim typicum expiandi vim habuisse, notissimum
 est inter alia e Lev. XVII, 10, II. Quare non est dubi-
 um, etiam I. Cor. I, 30. vocem ἀγιασμοῦ duobus syno-
 nymis, *justitia & redemptio*, eodem sensu hilastico adjun-
 git: ubi Christus nobis factus dicitur *justitia, sanctifi-
 catio & redemptio*. Conf. Eph. V, 26.

5. Et hæc hujus verbi ἀγιάζειν significatio hilasti-
 ca omnium clarissime conspicitur in illustri loco ad
 Hebr. XIII, 12. ubi Christus in oppositione typica ad san-
 guinem sacrificii piacularis ιατροῦ, dicitur *passus esse*
extra portam, ut per proprium [non alienum, ut facer-
 dos Leviticus] sanguinem populum ἀγάσῃ, *sanctificaret*,
 h.e. expiaret.

6. Et cum res expiationi idoneæ, tanquam exi-
 mix, ad eam essent separandæ & destinandæ, verbum
 ψηρπ, ψιρ, etiam habet notionem cognatam *conser-
 rationis*, seu destinationis ad usum sacrum generatim,
 speciatim ad piacularem. Vide Exod. XII, 2. Exod.
 XXIX, 1, 21, 33, 36, 37, 44. Et hoc ipso sensu Filius dicitur
 a Patre *sanctificatus & missus in mundum*. Jo. X, 36. Et
 Filius de se ipso dicit: *Pro ipsis ego me ipsum sanctifico*. c.
 XVII, 19. Ethic ipse Hebr. II, II. vocatur ὁ ἀγιάζων αὐτὸς,
 ipisque

SATISFACTIONE JESU CHRISTI.

ipsique junguntur ἡγιάζουσοι. Confer Ezech. XX, 12.
Ego Dominus שׁׁמְךָ LXX. ὁ ἡγιάζων αὐτοὺς, qui sanctificat eos, seu sanctificator ipsorum. Item c. XXXVII, 28.
Ego Dominus שׁׁמְךָ, LXX, ὁ ἡγιάζων, qui sanctificat Israelem.

7. In nonnullis locis sanctificatio accipitur latius, sensu ejus in expiationis applicatione non solum ad justificationem, sed etiam ad renovationem extenso. Jo. XVII, 17, 19. Act. XX, 32. 1. Cor. I, 2. VI, II. Eph. V, 26, quanquam etiam hoc ultimo loco (ubi Christus se pro ecclesia dicitur tradidisse, ut eam sanctificaret) respectus expiationis sit primarius. Nonnullis vero in locis ad solam renovationem, aut certa ejus officia, respicitur. Matth. VI, 9. Apoc. XXII, II. &c. Item Rom. VI, 19, 22. Thess. IV, 3, 4. Hebr. XIII, 14.

PROPOSITIO XXIII.

SATISFACTIO, seu EXPIATIO, Christi probatur 23) ex illis Scripturæ locis, ubi ea exprimitur per synonyma: καταλλάσσω, καταλλαγή, ἀποκαταλάσσω, ἀπαλλάσσω.

ILLUSTRATIO.

Rom. V, 10. Si enim, qui hostes eramus, κατηλλάγημεν, reconciliati sumus, Deo per mortem Filii sui, multo magis καταλλαγέντες reconciliati salvabimur per vitam ejus. Ibid. V, II. Per Christum Jesum καταλλαγήν, reconciliationem, accepimus.

2. Cor. V, 18. Omnia ex Deo, τὰς καταλαξαντός, qui reconciliavit nos sibi ipse per Jesum Christum, & dedit nobis ministerium τῆς καταλλαγῆς, instrumentum reconciliationis. v. 19. Deus enim

D

nim



nim erat in Christo, mundum καταλάσσων, reconcilians sibi
ip̄si, & non imputans ipsis peccata posuit inter nos sermonem
τῆς καταλλαγῆς, illius reconciliationis.

Eph. II, 16. Christus est nostra pax, qui reconciliavit
ambos (gentiles & Judaeos) in uno corpore Deo per crucem.

Col. I, 19. 20. In ipso placuit omnis plenitudo habita-
re & per ipsum ἀποκαταλλάξαι, reconciliare, omnia ad i-
psum, pace facta per sanguinem crucis ipsius, sive sunt in terris,
sive in celis.

Item v. 21. 22. Et vos, qui quondam alienati & ho-
pes mente in operibus malignis eratis, nunc ἀποκαταλλάξετε,
reconciliavit in corpore carnis sue per mortem, ut nos siste-
ret sanctos & macule expertes & irreprobensibiles coram se
ipso.

Hebr. II, 15. Christus similiter particeps factus est car-
nis & sanguinis, ut per mortem aboleret illum, qui potesta-
tem habebat mortis, h. e. diabolum, καὶ ἀπαλλάξῃ, &
reconciliaret hosce, quotquot metu mortis per omnem vitam
servituti erant obnoxii.

Observationes.

i. Grammatica horum verborum notio habet
sensem *commutandi*, *permutandi*, & simul *inmutandi*: in
quo latet sensus *substituendi* & *compensandi*, seu *reconci-
liandi* per *substitutionem* & *compensationem*, ita ut inde ex-
istat plena alicujus rei, aut status, *inmutatio*. Quæ i-
storum vocum proprietas quemadmodum operi re-
demtionis est convenientissima; sic confirmatur e re
ipsa & ex insigni loco Matth. XVI, 26. *Quid dabit homo
απάλλαγμα τῆς ψυχῆς αὐτοῦ, in permutationem (seu in
compensationem, in substitutionem) animæ sue?* was
fan der Mensch geben? damit er seine Seele wieder
lose?

2. No-

SATISFACTIONE JESU CHRISTI.

27

2. Notionem substitutionis, &c in verbo ἀλλαγμα, & in nomine ἀλλαγμα, vide in usu Levitico Ley. XXVII, 10, 27, 33. Confer de significatione permutationis, praecepue in emtione & contraetru, apud LXX. interpretes: Deut. XXIII, 19. Job. XXVIII, 15. 17. Ruth. IV, 7. 2 Sam. XXIV, 24. 1 Reg. X, 28. XXI, 2. Thren. V, 4. Jer. XV, 13. Jes. XLIII, 3. Amos V, 12. Vide etiam Exod. XIII, 13. ubi, de asino per substitutionem ovis redimendo usurpatum videoas verbum ἀλλαγμα.

3. Nec obstat, verba ista habere etiam notionem liberandi & reconciliandi sensu humano, seu inter homines usitato, vide Matth. V, 24. Luc. XII, 58. Act. LXIX, 12. Ab hoc enim nulla valet consequentia ad sensum, quem verba ista in negotio forensi Deum inter & homines habent.

4. Iisdem vero in salutis nostrae negotio notari reconciliationem piaculariem, porro inde etiam manifestum est, quod reconciliationis locis istis paulo ante cunctis tribuitur sanguini & morti Christi, quæ omnino sunt piacularia.

PROPOSITIO XXIV.

SATISFACTIO, seu EXPIATIO, Christi probatur a posteriori, ex ejusdem applicatione, seu e doctrina de Justificatione.

ILLUSTRATIO.

I. Justificatio est actus forensis, quo justitia Christi, seu a Christo per expiationem & satisfactionem pertinet, credenti ad salutem imputatur, peccatis ipsius ipsi non imputatis, utpote per Christum expiatis.

D 2

Hoc

Hoc est, quod peculiari Dissertatione producto integro argumentorum agmine demonstratum dabitur.

2. Jam vero justificatio nihil est aliud, quam applicatio Satisfactionis, seu meriti aliena satisfactione parti. Unde si justificatio forensis est, etiam satisfactionem, tanquam fundamentum ejus, forensem esse necesse est, utpote in lytri vicarii & piacularis solutione positam.

PROPOSITIO XXV.

Doctrina de SATISFACTIONE salutifera est magnum Evangelii mysterium, in quo deprehenditur osculum, seu suavisimum & admirandum temperamentum, justitiae & gratiae, seu misericordiae.

ILLUSTRATIO.

1. Quandoquidem inter Dei attributa nulla plane est pugna, sed summa harmonia; in salutis restituenda negotio *justitia* Dei sanctissima ita se exseruit per exactam & admissam *satisfactionem*, ut per eandem omnino simul locum reliquerit *misericordiae*, immo amplissimum huic campum per eandem aperuerit: quemadmodum misericordia per eam ita se exseruit, ut non oblititerit justitiae. Atque ita in hoc justitiae & misericordiae temperamento conspicitur φιλανθρωπia Dei justa & bene ordinata. Non enim Deus facit per *amorem*, aut *potentiam*, quidquam, quod facere nequit per *justitiam*; nec per *justitiam* solam, quod non simul permittat *amor*.

2. Hac

SATISFACTIONE JESU CHRISTI.

29

2. Hæc duo attributa, *justitia* *sæditati* juncta, seu *sanctissima*, & *misericordia Φιλάνθρωπος*, uti in temperamento suo *salutis nostræ fundamentum* constituunt; utpote positum respectu *justitiae* in requisito lytro, respectu *gratiae* in benevolentia immensa, lytrum offrente, præstante & admittente; sic in eodem temperamento admirandum *salutis ordinem* componunt. Nam Deus vi *gratiae* suæ nobis remittit peccata, nosque in filios adoptat & variis exornat beatque charismatis; vi vero *justitiae*, quæ *sanctissima* est, seu secundum quam Deus est *sanctissimus*, ordinavit viam conversionis, seu regenerationis ac renovationis. Nam ipse pro *justitia* sua *sanctissima* hominem corruptissimum & totum *θδελυκτὸν* in sui communionem admittere non potest, nisi *immutatus* fuerit, seu nisi sanctificetur, & hac ratione etiam *inhæsive* ex *injusto* ac *impio* subinde fiat *justior* ac *sanctior*.

3. Ipsa politia *Judaica* aliquod habuit simulacrum de *justitiae* & *gratiae* temperamentio, nimirum in lege de bove cornupeta *Exod. XXI, 29 - 31*. Hic si occiderat hominem, dominus ejus, qui periculi conscius illud non averterat, judicio mortis erat obnoxius, sed cum potestate redimendi, ita ut daret *פָרִין נְפֵשׁ*, *redemptionis* *preium*, *LXX. λύτρα pro vita sua*. Nonnullis vero civilibus etiam legibus subfuisse respectum sublimiorem, inter alia nos lex de bove aratore docet *Deut. XXV, 4*. a Paulo exposita *I. Cor. IX, 8 - 10*, *I. Tim. V, 18*.

4. Hoc *justitiae* & *gratiae* temperamentum egregie indicatur *Rom. III, 25, 26*. ubi nos dicimus *salvari gratis* & *ex gratia per redemtionem Jesu Christi*, & ubi Deus dicitur *Christum proposuisse hilasterium in demonstracionem justitiae sue*, nimirum vindicis, satisfactionem po-

D 3

scen-

39

DOCTRINA DE
fcentis &c. Confer v. 27. ubi Deus dicitur in hoc ne-
gotio *justus esse*, & tamen etiam *justificare ex fide in Chri-*
stum.

5. *Justitia Dei* cōsideratur vel *objective respectu* peccati, & est *vindicativa*; vel *subjective*, seu *inhæsive*, respectu ipsius Dei, & est ipsa ejus *immutabilis sanctitas*: quemadmodum bonus judex *justus* est respectu fori, seu objecti sui forensi, nec non respectu suæ ipsius vitæ sanctæ; quo sensu *justitia* ejus a *sanctitate* nihil differt: qua tamen alias aliquid differentia a *sanctitate* admittit, præcipue in Deo. *Justitia* vero *vindicis exercitium*, affectum & exercitium *amoris* non tollere, ipse etiam bonus judex humanus multis in partibus demonstrare solet, aut potest.

6. Nec obstat magna hæc inæqualitas inter judicium divinum & humanum; quod divinum acceperit satisfactionem pro reis ab innocentissimo in mortem vicariam tradito; humanum vero ejusmodi compensationem accipere non soleat. *Non solet*, quia *non potest* salvo jure. Non verò potest, quia innocens sponsor in mortem pro reis datus a judice refuscitari nequit in vitam, nec is se ipsum refuscitare valet. Quare si judicium ex gratia parcere vellet reo, cur ex eadem non potius parceret innocentia, cuius damnum præstare nequit. Alia vero fuit ratio fori divini. Hic enim poena mortis inficta est sponsori tali, qui amisit vitam sine damno sibi mox & voluit & potuit restituere, judicio ipso hanc restitutionem approbante & procurante. Quia enim solutum mortis lycrum infiniti erat valoris, vel solus moriendi actus cum actibus utiliusque obedientiæ præviis ad expiationem suffecit. Unde accepto lytro vas mox e carcere quasi suo dimissus est.

PRO-

SATISFACTIONE JESU CHRISTI.
PROPOSITIO XXVI.

31

Doctrina de SATISFACTIONE & EXPIATIONE est centrum & præcipuum caput religionis Christianæ.

ILLUSTRATIO.

1. Religio christiana omnem continet nervum religionis patriarchalis, Judaicæ, seu Mosaicæ, ac propheticæ. Jam vero hujus centrum & cardo fuit in dogmate de EXPIATIONE sacrificali, ubi Dissert. V. pluribus evictum est. Ergo idem dogma etiam medulla & quasi anima est religionis Christianæ.

2. Dogma de Satisfactione & fundamentum & ordinem salutis nostræ constituit, uti Propos. XXV. ostensum est. Ergo de præstantia & necessitate ejusdem dubitari nequit. Huc uberioris declarationis gratia refer Propositiones sequentes, præcipue proximam.

PROPOSITIO XXVII.

Doctrina de SATISFACTIONE Christi est lapis Iydius confessionis omnis, quam habent singuli coetus, seu singulæ ecclesiæ, collective sumtæ, quæ ab Evangelico-Lutherana dissentunt.

ILLUSTRATIO.

1. *Socinianorum* confessio Satisfactionem omnem proprie dietam & in sensu forensi acceptram cum doctrinis cognatis, recte intellectis, plane negat, immo acriter impugnat.

2. *Pontificiorum* confessio doctrinam de Satisfactione

ne

ne Christi non negat quidem, sed variis tamen modis partim corruptit, aut enervat, partim obscurat.

3. *Reformatorum confessio* non solum a negatione & impugnatione Socinianorum, sed etiam a corrupte-
lis Pontificiorum abest: in eo tamen præcipue a con-
fessione nostra dissentit, quod Satisfactionis *objectum* fa-
cit tantum *particulare*, ad solos illud electos restringens.

4. Sed hæc una cum momentis aliis, quæ
huc pertinent, singulatim nunc persequi, & aliorum
cœtuum, certarumque personarum, confessiones per
eandem σύνησιν huc referre, non permittit instituti-
ratio. Clarissimus vero *poiretus* noster quantopere
hinc aberret, Dissertatione IX. & X. & pluribus aliis
videbimus. De aberratione *Huthmanniana* egi Part. III.
voluminis der Mittel-Strasse.

PROPOSITIO XXVIII.

**Doctrina de SATISFACTIONE & EX-
PIATIONE Christi nequaquam patro-
cinatur impietati, sed potius pietatem
omnemq; Dei cultum vere evangeli-
cum insigniter instaurat & promovet.**

ILLUSTRATIO.

1. Hæc doctrina continet nervum omnem totius
legis & evangelii: & legis quidem, dum Dei justitiam ac
sanctitatem peccatique gravitatem homini ob oculos
ponit, pœnitentiam, ac peccati, Deo adeo detestabilis,
ut in proprio Filio suo id graviter puniverit, fugam
seriam exigens. Conf. Propos. XXV. Evangelii vero
nervus ac nucleus non minus, immo multo magis, in
doctrina ista continetur, quia illa ipsa Dei gratiam me-
rito

SATISFACTIONE JESU CHRISTI.

33

rito Christi partam, tanquam salutis omniumque bonorum spiritualium fontem inexhaustum, unde omnis sanctimonia instauratur, nobis commendat.

2. Jam vero omnis christianismi genuini praxis in eo est, seu eo tendit, ut coram Deo interne externeq; vivamus **CONFIDENTER**, secundum *Evangelium*, & **SANCTE**, secundum *Legem*.

3. Quod *Γεῶν* quia continet doctrina de **SATISFACTIONE**, & experitur ejus praxis, certe evangelicum, hoc est, optimum, unicum ac sufficientissimum præbet fundamentum ac incitamentum ad vitæ sanctimoniam.

4. Et quid notius est, quam quod in foro quoq; humano, quando venia locum habet, hæc non sine omni satisfactione dari soleat, eum præcipue in finem, ut compensatio istius sensus ac recordatio a consuetudine peccandi, quæ in impunitatis spe fomentum suum habere solet, peccantes avocet?

5. Ipse *Scopus Satisfactionis* hoc confirmat. Nam hic tenet non solum ad illam ejus applicationem, quæ in justificatione est, & in *mutatione judiciali* consistit; sed ad illam quoque, quæ, in *mutatione morali & inherente* posita, per regenerationem & renovationem efficitur, & in amissa imaginis divinae instaurazione consistit: quemadmodum quæplurimis Scripturæ locis perhibetur. Vide inter alia 2 Cor. V, 15. Gal. I, 4. II, 20. Tit. II, 14. Conserenda hic est integra Dissert. I, prejudicio illi, quasi doctrina de Satisfactione & Justificatione pietatis studio obfet, ex instituto opposita.

PROPOSITIO XXIX.

Doctrinæ de SATISFACTIONE & EXPIATIONE necessitatem & salubritatem summam comprobant experientia,

E

quæ

quam animæ accipiunt partim in prima contritione, seu lucta pœnitentiæ, partim etiam in integro renovationis cursu, in primis si status tentationis & derelictionis, seu ariditatis spiritualis, inciderit.

ILLUSTRATIO.

1. *Penitentie lucta* quo magis est seria, eo major in ea est sensus peccati, cum indignitatæ nostræ sensu conjuncta. Cui nisi satisfactionis præsidium adhibetur & applicetur, animus contritus & sub onere peccati pressus fidem in Deum concipere & se erigere nequit: applicatum vero fidem accedit, animumque afflictissimum adeo recessat ac recreat, ut sibi redditus demum vivere incipiat.

2. Eadem est ratio, eadem salubritas ac necessitas, hujus doctrinæ in cursu renovationis. Hic enim bene constitutus non est, nisi in eo vigeat perpetua hujus doctrinæ praxis: cuius efficaciam quando anima sanctimoniarum studio dedita experitur, deprehendit, semet esse plantam, ad rivos aquarum positam, quæ fructus suos ferat haud difficulter. Psalm. I. Conf Propos. XXV.

3. Quod si vero *spiritualis afflictionis* ac ariditatis *status*, aut *afflictus* in renovationis cursu inciderit, difficillima & anima acerba inde oriri solet lucta: quam nisi hoc satisfactionis præsidio viceris, quomodo recte depelles unquam? Certe quod non paucæ animæ vel a primo contritionis limine, vel a recto renovationis tramite, infelicissime resiliunt, una e præcipuis caussis est in defectu applicacionis evangelice, quam doctrina ista præbet. Et quod ad statum christianismi evangelicum, cumque confirmationem, emergere soleant pauciores ex iis, qui revocantis gratia disciplinam subierunt, eidem defectui, seu neglegctui est adscriendum.

4. Nec prætereundum hic est pro adstruenda hujus doctrinæ salubritate hoc ejus momentum, quo veris christianis se inter ipsos scrupuli.

SATISFACTIONE JESU CHRISTI.

35

scrupulos & fluctuationem animi commendat. Quando enim accedit, ut circa doctrinam de Satisfactione ejusque veritate scrupulis, aut dubitatione aliqua, invitit angantur, eo ipso in statu, naturalis sui aetique reatus memores, praxin hujus doctrinae deprehendunt suavisimam, ita ut in eo, quod intellectus pro sublimitate sua satis percipere non valet, voluntas quam lubentissime acquiescat, & sibi de hoc praesidio gratuleretur, iupore ad illud toties configere coadulta, quoties hostium spiritualium insultus experitur validiores, & impensis quoties peccatorum recordatio, quæ simul reatus sensum aliquo modo refricare solet, animum afficit, eundem turbatura.

PROPOSITIO XXX.

Poenitentia malefactorum & vitae emendatio non abolent culpam poenamque promeritam, nec supplent SATISFACTIONEM, sed tantum ad ordinem pertinent, in quo alicui Christi satisfactionio ad justitiam potest imputari.

ILLUSTRA TIO.

1. Liquet hoc, si Scripturam sacram respiciamus, ex eo, quod utramque videmus commendari ac requiri, SATISFACTIONEM & POENITENTIAM. Ergo unum alteri non obstat, sed inservit. Scilicet *Satisfactione* est salutis nostra fundamentum, *poenitentia* vero ad ordinem, seu applicationem ejusdem, pertinet.

2. *Poenitentiam* nostram *satisfactionis* loco *justitiae* Dei vindicari non posse, vel ex eo manifestum est, quod caret proportione. Poenitentia enim nostra est finita, nec intermissum officium compensat; Dei vero *justitia* est infinita, lytrum requirens infinitum in compensationem debiti & abolitionem reatus.

3. Huc accedit defectus *veritatis*, seu genuinae indolis. Nam *poenitentia* mere naturalis non extenditur ad omnia peccata, & inter haec ad originale etiam. Præterea laborat arrogantia, quæ Deo est

intolerabilis. Quod si vero *metavox* nostra genuina & cum fide salvifica conjuncta est, ipsius satisfactionis est fructus; utpote quæ sine ea ne oriri quidem potuisset, tantum abest, ut loco ejusdem ad salutem sufficiat.

4. Ipsa lex naturæ & ejusdem declaratio, in codice sacro facta, præter poenitentiam a delinquente requirit satisfactionem, aut ejus loco irrogationem pœnae. Quorū inter alia pertinet *jus & pena talionis*: de qua ante aliquot annos in peculiari Dissertatione ex instituto egi. Et hoc ipsum est, quod in judicis humanis, ad juris naturalis & civilis præscriptum, quotidiana praxis comprobat: ubi v.g. homicidam aut furem penitentia facti a morte aut alio supplicio non liberat, sed ista, si genuina est, tantum eum constituit ordinem, in quo delinquens æternam peccatorum suorum onus, atque ita etiam homicidii, aut furti, pœnam effugere potest. Jam vero lex naturalis & revelata est imago & character voluntatis divinae immutabilis, cui repugnare nequit, quod cum ista convenit, & ab ista præscriptum est.

5. Optime B. Jo. MUSÆUS in Examine Cherburianismi §. LI. p. 17. Illa ipsa delicta, quibus homines injuria & contumelia afficiuntur, violant etiam Dei eternam & immutabilem legem, & ejus violationē ledunt quoque maiestatem Dei summi. Si ergo, vi divina & naturalis legis, illata hominibus injuria, aut contumelia sola delinquenti penitentia sive retrahitratione morali expiari non potest; num illata maiestati Dei summi injuria, vi ejusdem legis, sola peccantis penitentia, sive retrahitratione morali expiari possit? Quid enim? An Deus gloria & maiestatis sue magis prodigus est, quam homo, ut injuria huic illata, absque satisfactione, expiari a penitente non possit; possit tamen, absque satisfactione sola peccantis penitentia, expiari injuria, maiestati Dei summi illata? Videantur in eodem scripto plura lectu dignissima.

PROPOSITIO XXXI.

Doctrina de SATISFACTIONE, si qua alia, in universo codice sacro longe est

est fundatisima, & tutissima, util longa argumentorum serie, ita admiranda etiam dogmatum evangelicorum harmonia & salubritate, in ipsius christianismi praxin se diffundente, se commendans.

ILLUSTRAT:O.

1. Sacer codex non immerito eo apud nos est loco, ea autoritate, ut dogma aliquod, semel tantum, aut iterum, in ea propositione, nobis religiosum sit ac dubitatione omni majus. Voluit tamen Deus in diversis fidei articulis, qui maximi sunt momenti, & in quibus ad fluctuationem prona est ratio nostra, imbecillitati nostrae ita consulere, ut hac haberet, quo niteretur ipsa, & quo se adversus corruptelas tueretur ac immota perstaret fides nostra.

2. Istorum dogmatum in numero fere precipuam esse hanc de SATISFACTIONE doctrinam, ipsa demonstrationis series, quæ haec tenus data est, abunde, quod arbitror, comprobat. Certe enim argumenta hic uti ponderamus, & pondera singula deprehendimus validissima; ita non immerito eriam numeramus, ut veritas hac, explicatio evolutisque viribus suis, eo nobis sit pretiosior ac amabilior, per fidem imis anime nostra recessibus firmissime impressa. Quid dico de argumentis, cum fere quot sunt propositiones, tot sint productæ argumentorum classes, ex imis visceribus suis erutæ?

3. Quod si vero unus & alter lector haret circa hanc vel istam argumentorum classem, aut circa aliquid in hac aut ista argumentum singulatim consideratum, is illud in sua ἀποδεξεως compage & integra structura probe perpendat. Sie, quod confido, omnino habebit, in quo cum plerophoria possit acquiescere, scrupulis, quibus alii in transversum aguntur, superior. Ita enim structa est hac argumentorum acies, ut adversus irruptiones tuta possit perstare; quandoquidem lustrata & recte cognita inter arma

ac præsidia sua etiam gladios subministrat acutos, quibus nodi artis sophisticae Gordii nullo negotio, seu uno istu, solvi rumpique possint. Potest tamen aliquis de dogmatis alicujus veritate esse certissimus, eis subtiliores dissentientium argutias tricasque extricare & disjicere nequeat.

5. *Tutam esse hanc de Satisfactione doctrinam, jam constat ex ipsa veritate ejus validissime fundata. Idem speciatim cognoscitur ex iis, qua Propos. XXV. XXVI. & XXVIII. dicta sunt, Summa vero indolis ipsius tutæ est, quod doctrinam præstat ab erroribus, & vitam ab impietate & anxietate, immunem, si recte fuerit applicata. Et hac ratione simul ejusdem salubritas cognoscitur summa, & harmonica cum aliis dogmatiis evangelicis concordia.*

PROPOSITIO XXXII.

Doctrina de SATISFACTIONE sanæ rationi nequaquam est contraria, sed eidem, si institutionem admittat, adeo est consentanea, ut, etsi ratio eam excoigitare non potuit, revelata tamen non possit non demisse admirari, tanquam rectissimam, & Deo ac humano generi convenientem.

ILLUSTRATIO.

1. Rationi convenit, in Deo eminentissimo sensu esse attributum *justitia & gratia* sine pugna illa.

2. Quod si haec attributa in Deo sibi contraria haud sunt, rationi convenit, ut in certo quodam temperamento convenienter.

3. Nullum vero temperamentum esse potuit convenientius ac æquius eo, quod in MYSTERIO SATISFACTIONIS est; utpote in quo *justitia* vindex ipsa lytri exactione, acceptance & imputatione locum reliquit *misericordie*, lytrum decernenti & ordinanti, illudq; exsol-

SATISFACTIONE JESU CHRISTI

39

exsolventi, ita ut neutrum attributum alterum energet, aut impediatur,
sed unum alterum mirifice illustreret.

4. Et hoc *justitiae & gratiae temperamentum* rationi convenire, genuinus rationis usus secundum æquitatis praxin etiam in judicis humanis comprobatur. Etenim quia hic in multis casibus v. g. homicidii, latrocini, crimen læse majestatis, & hujus generis pluribus, pro rigidiori jure non admitti solet redemptio supplicii capitalis; id eo si in his, aut aliis, casibus admittatur lytron, *gratia documentum* est. Exempla habemus in republica Judaica de domino bovis corruptæ, cedis reo, Exod. XXI, 29, 30, 31.

5. Nec rationi repugnat, exigere atque accipere lytron, seu delicti gratiam sine intercedente lytro haud facere, siquidem *gratia justitiae* haud evertit.

6. Huc accedunt rationes diverse, quæ obstant, quo minus misericordia sine satisfactione, seu temperamento justitiae, in salutis negotio locum habere possit: & quidem 1) ex parte Dei judicis, ejus innocentia & sanctitas, secundum quam Deus per exactiōē satisfactionis demonstrat, se nullo modo peccati cauissam, aut approbatorem ac patronum, existere. 2) Ex parte hominum peccatorum, innata mentis levitas, quæ cum per se iam tota propendeat ad peccati negationem, aut extenuationem & excusationem, simplici culpæ condonatione turpissime fuisse abusura, eamque abreptura in peccandi consuetudinem, impunitatis spe inde concepta non parum auctam. Videmus itaque tale jus *aggravandi* (ut barbare vocant) quod om̄ēm Satisfactionem excludit, in salutis negotio nec Deus, nec homini futurum fuisse conveniens.

Conferatur jam antea laudatum scriptum B. D. JO. MUSAEI, *Examen Cherburianismi, sive Meletema de Luminis nature insufficiencia ad salutem, ex quo præcipue sequentia hac referti merentur: §. XLVI. p. 24.* Peccata, præter peccantem, concernunt etiam Deum, & ob violatum ejus jus cum *injuria & offensa ipsius conjuncta sunt*. Commune autem inter se habent omnes in universum actiones morales, quæ alterius tertii jus quoddam concernunt, ut ab agente, licet serio penitente, rescindi & aboleri non possint, sed tantisper cum fringantur, dum juri tertii fiat satis: v. g. in contractu emptionis, qui emit agrum, licet



DOCTRINA DE SATISFACTIONE.

licet postea emtio[n]is eum p[er]niteat, & initum semel contractum animo & verbis dolens retractet, tamen quia contractus etiam venditoris jus concernit, non potest sola emtoris retractatione is aboleri, sed emtor tenetur illo constrictus quasi & obligatus, usque dum juri venditoris fiat satis, ut ejus pace & consen[t]u rescindatur, & retractatione utriusque reddatur irritus. Quemadmodum ergo v. g. in contra-
etu emtio[n]is jus tertii, venditoris scilicet, obstat, quo minus sola emtoris p[er]nentia & retractatione rescindi & aboleri posset: ita in peccatis jus DEI violatum aque obstat, quominus sola peccatoris p[er]nentia & retractatione expiari & aboleri possint: sed ut illuc ad abolen-
dum emtio[n]is contractum, prater emtoris p[er]nentiam, etiam juri venditoris satisfaci oportet; ita hic ad expianda peccata, prater peccatoris p[er]nentiam, violato peccatis juri divino ut fiat satis, necesse est. Ei vero aliter satis fieri non potest, quam luitione, ut ita lo-
quar, p[ro]p[ter]e, ad quam suapte natura peccatum obligat, vel persolutio-
ne lyri cuiusdam, quod p[ro]p[ter]e aequivaleat.

Hoc patet etiam per experientiam. Qui enim contra leges pu-
blicas peccavit, & commisso v. g. adulterio vel homicidio in magis-
tratus incidit offendit, is quantocunque corripiatur dolore, tenetur
tamen culpa peccati reatu p[er]nentia constrictus, & manet simul in-
offensa magistratus, donec vel luendo debitam peccato p[en]am, vel
exhibito p[en]e promerita equivalente lytro magistrati faciat satis.
Et qui in proximum aliquid commisit, eumque injuria affecte, licet
postea p[er]nentia ductus factum habere ratum nolit, idque non abs-
que gravi animi dolore detestetur, tamen nisi etiam offenso proximo
fecerit satis, aut saltē eum induxit, ut jure suo cedat, & illatam
sibi injuriam condonet, sub culpa & reatu p[en]e tenebitur constrictus,
non obstante sua p[er]nentia. Quo videtur respxisse Christus, quando
Matth. V, 23. seqq. peccatorem, qui jam manus suum ad altare attu-
lerit, & impetranda peccatorum venie causa, ad Deum precaturus,
fratrem suum aliquid contra se habere meminerit, hortatur, ut, reli-
cto ad altare munere, ad fratrem offensum abeat, & cum ipso prius
reconciliationem ineat, quam suorum peccatorum remis-
sionem apud Deum querat.



73 5225

ULB Halle
002 698 757

3



St

Nb 18

Mt

B.I.G.

Farbkarte #13

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

DISSERTATIONUM ANTIPORETIANARUM
ET SIMUL ANTISOCINIANARUM

OCTAVA

DE

SATISFACTIONE JESU CHRISTI, SEU DE EXPIATIONE ET RE- DEMPTIONE EJUS FORENSI,

TANQVAM ANTITYPICO UNIVERSÆ REI SACRIFICALIS
NUCLEO, TOTIUS EVANGELII CENTRO, AC JUSTIFICA-
TIONIS FORENSIS FUNDAMENTO:

QVAM DOCTRINAM
POSTERIORE XVI PROPOSITIONUM SERIE
DEMONSTRATAM

IN REGIA FRIDERICIANA

die Novembris hujus MDCCXIX. anni

PRAESENTE

JOACHIMO LANGIO,

SS. THEOL. D. ET PROF. ORDIN.

responsione publica defendet

JACOBUS GABRIEL Randel/

Schœnebecca Magdeburgicus, S. S. Theol. Cultor.

HALAE SAXONUM,

Typis JOAN. FRID. KROTTENDORFII, Acad. Typ.

34

